

Paradoxa sensatio, sive dolor membri amputati. In alma Eberhardina consensu amplissimi philosophorum ordinis / praeside Dn. Rudolpho Jacobo Camerario ... pro obtinendo gradu magisterii ... ad diem [...] Junii, publico eruditorum examini expositus a Johanne Jacobo Wunderlich.

Contributors

Wunderlich, Johannes Jacobus.
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Georg-Henrici Reise, 1693.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ypbmgppg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. U.

3

PARADOXA SENSATIO,

Sive

DOLOR MEMBRI AMPUTATI,

In Alma EBERHARDINA

Consensu

Amplissimi Philosophorum Ordinis,

P R Æ S I D E

DN. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Phil. & Med. D. Phys. Prof. Publ. Ord.

Academiae Imperialis Leopoldinae Naturae

Curiosorum Hectore II.

Facult. Philosoph. h. t. DECANO,

Pro

Obtinendo Gradus Magisterii

IN AULA PHILOSOPHORUM

Ad Diem Junii,

Publico Eruditorum Examine expositus

A

JOHANNE JACOBO Wunderlich / Marpacens.

Serenifs. Stipend.

T U B I N G Æ,

Typis GEORG - HENRICI REISI,

ANNO M. DC. XCIII.

VIRIS

*Maximè Reverendo, Amplissimis
& Spectatissimis,*

DN. JOHANN-JACOBO Eisenlohr /
Templi Cathedralis in Inclytâ S. R. I. Re-
publicâ Reuttlingensi Ecclesiastæ Summo
& Antistiti Dignissimo, &c.

NEC NON

DN. THEODORICO Wunderlich /
Ordin. Provincial. in Duc. Würtemb. In-
tim. Senat. Assessori Gravissimo, & Incl.
Reipubl. Marpacensis Consuli Spectatis-
simo, &c.

*Cognato illi & Patrono Maximo, huic Parenti
Optimo*

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

*In gratissimi pariter ac obsequentissimi
Animi, qualemcumq̃, tesseram*

sacras voluit

Obstrictissimus Client & Filius

JOH. JAC. Wunderlich / Resp.



Σ. Θ.

— — — — — *Quod Medicorum est,*
Exercent Medici,



DE Sanitate conservandâ & restituendâ solliciti. Philosophi idem objectum non curaturi sed cognituri considerant, & ad Physicum forum spectantia quandoque vel in ipsâ praxi Medicâ deprehendunt, à Medicis etiam, dum sepositâ curâ medendi alienam Physici personam assumunt, ventilari & curiosè examinari solita. Tale phænomenon physicum occurrit, dum membrum corruptum, ne pars sincera trahatur, rescinditur, & tamen, utut truncatum, dolet, ac torquet ægrum; adeòque non perpetuum finit esse veriverbium: *Ubi dolor, ibi manus*. Hunc dolorem, non sedandi, sed ad causas suas revocandi animo, disquisitioni subjicimus; Thema sanè vexatum, & disputationi publicæ aptum, ubi tamen (modò votis valor esset) docentes utique quàm opposcentes audire mallems; sed vix speramus, cùm ad hoc munus, illo longè facilius, suscipiendum soleamus esse, proniores ne dicam an aptiores. *Juva Jehova.*

CAPUT I.

Refertur Historia.

Varia inter melancholicorum deliria & fatuorum digna ædiculis somnia, etiam parte hâc vel illâ corporis se carere firmiter persuasi & jacturam istam deplorantes occurrunt, de præsentia partis, quam deperditam lu-

gent, sæpè vix nullâ ratione certiores reddendi; Cessit tamen illi cura feliciter, qui capite tali sensu destitutus, imposito plumbeo pileo convictus & confessus resipuit. His planè oppositos, non præsentis absentiam lugentes, sed absentis præsentiam ægrè ferentes, non deliros, sed mente sanissimos, considerandos proponimus. Res paucis sic se habet: *Ægri, quibus per aut brachium à Chirurgo amputatur, non obstante hac exstirpatione, illo membro se adhuc præditos esse putant, & de variis in eo doloribus diu conqueruntur.* Phænomena specialiora in milite non gregario, cui post perpeffos magnos per octo septimanas dolores, brachium ultrâ cubitum amputatum fuit, observavi seqq.

1. Huic brachium amputatum fuit scienti & sat dolenti; in parte quippe sanâ & vivâ sectio facta. Nihil ipsi in locum brachii substitutum, sed truncus residuus deligatus visui & tactui patuit.

2. Retulit mox primo die, aliquot post operationem horis planè sibi videri ac si brachium suum elevatum, & manus capiti imposita esset; Die altero, jam videri, ac si modo ordinario coràm in lecto non minus ac alterum jaceret, distinguere se omnes digitos suos & sentire quasi stupore affecti essent; als wann sie schlaffen.

3. Se quoque dolore affligi modò in hoc, modo isto digito, præcipuè acerrimum esse dolorem, qui cruciet internè indicem, digitum per octo septimanas magni doloris sedem, utut olim externè nulla læsio in ipso fuerit notabilis; Vulnus enim quod ob hæmorrhagiam vel gangrænam abscissionem postulaverat, circa articulationem brachii cum cubito inflictum fuit.

4. Se diu jam in istâ speculatione detineri, & nullâ rationis suæ vi rem tam mirabilem posse concipere, quomodo simul & brachio suo carere, & tantos actu dolores pati, non imaginari, cogatur in ipso.

5. Prima trunci deligatio renovata fuit die post amputationem quinto, sed valdè dolorifica, separabantur enim à trunco non sine acerbis doloribus emplastra tenacia, vesicæ, &c. ab hoc dolore calor in toto corpore excitatus, vigilæ, accessit etiam suo tempore inflammatio & suppuratio; His tamen non obstantibus refert postmodò æger

6. Semper sibi obversari manum suam, præcipuè continuare dolorem digitorum, & quidem velut eoràm, in digitis supra lectum positis, non in trunco vel extremitate, de quo extra deligationem raræ querelæ. Hinc non raro se manum alteram eò movere, ut hunc illumve digitum fricet, & varias inde abigat molestias; at loco digiti lectum eheu! tangi.

7. Contrahi etiam & extendi non raro alternatim digitos sibi invito, scilicet ita se putare, ac si id fieret; Adedque in sua omninò adhuc potestate esse, singulos pro lubitu digitos movere, & videri sibi ipsos respondere suis nutibus, non minus quàm superstes sana manus.

8. Post sequentem deligationem die septimo, itidem non sine dolore peractam, superaddit, durante ipsa sensum illum & dolorem omninò exspirasse, nec quicquam sibi obversatum fuisse; EA verò absolutà jam iterum præstò esse, omninò ut prius. Idem ordinariè in pluribus subsequentiùm deligationum actibus eodem modo retulit & confirmavit.

9. Cùm circa quartam septimanam vulnus bellè ad cicatricem tenderet, ipse obambulare & exspatiari, & residuus truncus ad varios motus aptari inciperet, sensim imminutum fuisse sensum brachii superstitis & doloris, præsertim cum pendulus truncus in equitatione vario motu agigaretur, ita ut antè quintam septimanam completam peregrè profectus ab omni errore & sensu liber evaserit.

Hoc tam mirabile phænomenon haud equidem rarum aut novum quid est, nec nudius tertius demum primò observatum, sed passim, in Chirurgicis præsertim scriptis occurrit, atque adeò certum, ut *J. Bobnius in Circul. Anatom.* per experientiam diversorum scriptorum atque practitorum eò usque confirmatum dicat, ut nec illi quibus hoc videre nunquam contigit, de ejus veritate dubitare queant. Qualescunque differentias deprehendimus istas, Quod 1. Quibus ignaris & non sentientibus membrum ablatum fuerat, de dolore isto nihilominus fuerint conquesti; huc spectat exemplum puellæ de quâ *Ren. Cartesius, in Princip. philosoph.* 2. Persuasio ista de præsentè adhuc membro nonnunquam fuit tanta, teste *Fabrit. Hildano in Observat. Chirurg.* ut quidam ti-

biæ suæ extirpatæ oblitus, cùm surgere vellet, corruerit, alter brachium quo carebat extensurus, motu trunci vehementi lethalem hæmorrhagiam excitaverit. 3. Dolor in aliis major & intensior quàm in nostro, æstus item urens, aliàs frigus observatam fuerit, ita ut etiam *Ambros. Paræus d. Contus. & Gangr.* adversus dolores illos præscribat linimentum pro spinâ dorsi & parte affectâ. 4. Perrarò ultra absolutam curam duraverit dolor; Unum tamen novit *F. Hildanus*, qui post duos annos testatus est, arbitrari se frequentius, pedem, talum & tibiam sibi adhuc dolere. *Nic. Binningerus in observ.* alterum refert, cùm trunco tibia artificialis esset adaptata, ut hinc inde pedes scipioni innixus, & eques exspatiari posset, haud tamen à dictis in mutilatâ tibia doloribus mansisse immunem.

CAPUT II

Proponitur Sententiarum Varietas.

A. Paræo verosimile videtur, contingere dicta ob id, quòd *señti nervi versus originem suam contrahant se, sicq; convulsioni similem dolorem excitent*; *F. Hildano: Quandoquidem spiritus sensificus per nervos fluens, sensum istius partis amputate, in quam influere solitus erat, representat. Sed quia ulterius progredi non licet, à trunco ad sensum communem reflectitur, sicq; ibi falsa imaginatio.* *R. Cartesius* utitur hoc phænomeno ad probandum, Animam, non quatenus est in singulis membris, sed tantum quatenus est in cerebro, ea quæ corpori accidunt in singulis membris nervorum ope sentire. Rationem autem dolorum reddit hanc, *quod nervi qui prius ex cerebro ad manum descendebant, tuncq; in brachio juxta cubitum terminabantur, eodem modo ibi moverentur, ac prius moveri debuissent in manu, ad sensum hujus vel illius digiti dolentis, anima in cerebro residenti imprimendum.* Illustrat id in *Meditat. Sext.* simili funis a. b. c. d. si trahatur ejus ultima pars d, non alio pacto movebitur prima a, quàm moveri etiam posset, si traheretur una ex intermediis b, vel c, & ultima d maneret immota. Quamvis verò in genere, & in se considerando connexionem quæ est inter

ter motum & sensum mentis, juxta Eundem natura hominis à Deo sic constitui potuisset, ut ille idem motus in cerebro quidvis aliud menti exhiberet; nempe vel se ipsum, quatenus est in cerebro, vel quatenus est in pede, vel in aliquo ex locis intermediis, vel denique aliud quodlibet, tñ. nihil hâc in re excogitari potuisset melius, quàm si eum sensum inferat, qui ex omnibus quos inferre potest ad hominis sani conservationem quàm maximè & frequentissimè con- ducit. e. gr. hâc dolorem in membro existentem, à quo mens exci- tatur ad ejus causam, ut ipsi infestam, quantum in se est, amoven- dam. Sensum itaque naturaliter falli, quia cum ille idem motus in cerebro non possit nisi eundè semper sensum menti inferre, mul- toque frequentius oriri soleat à causa, quæ lædit e. g. pedem, quàm ab aliâ, alibi existente, rationi consentaneum est, ut pedis potius, quàm alterius partis dolorem menti semper exhibeat. E contra G. Hardt *Dissert. Anticart. d. Sens.* ita fatur: *Quid ad rem faciat ad- ductum illius puellæ exemplum, quæ ignorans sibi manum præscissam, putabat manum adhuc dolere, non percipio: Nam aliud est imaginatio sensationis, aliud sensatio aliqua realis. Illam omninò anima exer- cet in capite, hanc verò non nisi in organis. Requirit sanè Cartesius ipse, ut motus nervi debeat imprimi ab aliquo objecto extrinseco, quod in hoc & simili casu non fieri, prorsus est indubitatum. Taceo alia, quæ in hoc casu possent moneri.*

Bohnius eodem phænomeno utitur ad excusandos, qui po- tentiam v. gr. videndi oculo, audiendi facultatem auri denegant, & confirmat eorum sententiam hâc perceptione dolorificâ, quæ non in detruncato membro, sed in cerebro contigerit, & alibi juxta hoc phænomenon, terminum omnium sensationum ultimum in sensu communi ac cerebro esse statuit, sicut nihilominus in orga- no & apice nervorum harum motus inchoari, hæcque sensibilibus species primò excipere, palam sit. In explicatione Cartesianâ præ- cipuum deesse judicat, sc. quodnam id movens sit, quod dolorem excitet, quid nervum eâdem ratione in membro truncato moveat? cui quæstioni à nullo, quos ipse legerit, Autorum satisfactum sit. Contra communem sententiam, quæ per phantasiâ, potentio- rem imaginationem, residuas species rem explicare volunt, tribus hisce militat; 1. Aliud esse dolorum pristinatorum meminisse, aliud eos- dem

dem adhuc a&u sustinere, perinde ac discrepent, vinum bonum degustare, & aliquando ejus haustus recordari. 2. Nullam dolorum vehementiam s. in arthritide sive à calculo sive dyftociâ, &c. post sui evanescentiam talem aut tantam unquam reliquisse impressionem, ratione cujus aliquis se paroxysmo arthritico laborare, aut foemina partum eniti sibi aded firmiter persuadere potuerit; præprimis cum 3. hic erroneus dolor sit tantus & diuturnus, ut noctes insomnes reddat, cui præjudicio evertendo nulla sanatio vel sensus sufficiat. Ipse præmissâ excusatione, quam & nostram liceat facere (malle se ab aliis perspicacioribus problematis hujus difficilimi solutionem expectare, quàm iisdem ineptis sui glaucoma facere, nisi in arduis aliquid conari, sequiori licet successu veniam promitteret) supponit ipse 1. Spiritus retrorsum urgeri à duplici causâ, & à sensoris stimulis, & à naturali partium renitentia. 2. Nervorum extremitates ab undulatione dolorificâ ex membro retrogradâ in certum statum tensionis, contractionis, &c. (desunt apti & congrui termini) redigi: *Hunc eundem statum nervi post amputationem adhuc superstitem esse, per nervos ita permanentes non alium motum, quam pristinum dolorificum communicari posse, propria Ipsius fert opinio.*

Perraultus Essais de physique Tom. 2. alienus à prioribus, animam unitam omnibus corporis partibus affici ab impressionibus objectorum in organis, non in cerebro, statuit, reconditorium imaginum corporalium, à variis nervorum motibus excitandarum, minus probat, denique in sensibus judicium involvi, idque duplex notat, unum habituale, confusum, alterum distinctum, quod si ad examen prioris non vocetur, toties animam decipi: Rationem ergò dolentis membri amputati quærit in hoc, *quod anima nondum sufficienter circa jacturam sui brachii reflexiones instituerit, solitum prius judicare, manum esse que dolet, siquidem dolor membri, quod humero annectitur, extremitatem affecerit; Quare & nunc facile dolorem excitatum in loco, ubi brachium amputatum est, pro dolore manus sumi, cum & hic dolor sit in extremitate membri humero annexi.* Ut enim cum aliqua probabilitate dici possit, quod imagines superstites in cerebro ab impressionibus dolorificis pristinis renovatae à percussione fibrarum nervearum, ad istas partes

olim tendentium, offerre possint easdem sensationes, nihilominus effectum hunc isto modo non explicari melius; In utraq; quippe hypothese æquè admittendum esse errorem in iudicio sensationis, quo impressio doloris facta in extremitate membri mutilati habeatur pro impressione facta in manu. Nec enim omninò similem esse affectionem, olim in fibris manûs factam, cum eâ, quam nunc truncus patitur, ut ita cerebrum supplere deberet, quod fibræ membri mutilati referre nequeunt.

CAPUT III.

Expenditur Sententiarum varietas.

HÆc sunt cogitata Autorum, quos quidem, dum hæc meditatur, evolvere contigit, & quos eadem ante nos tenuit cura, circa modum & rationem phænomeni utiq; mirabilis. Consensus est in hoc, Animam falli, & iudicare aliter, quàm res verè se habet; Dissensus in quæstione de causa, occasione & modo deceptionis, sive, an Anima membrum quasi præsens, dolorem varium & magnum sibi sistat & exhibeat ope imaginationis, occasione specierum continuò excitatarum seu redeuntium, absque eo, quod aliquid ipsam vel corporis partem afficiat vel lædat; An verò adsint causæ lædentes, solventes continuum, & quidem in trunco superstite, anima verò solùm erret in iudicio circa locum & modum, assignando extremitati pristinæ, quod non ipsi, sed nunc de facto extremum obtinenti parti competit; An denique modo intermedio, nec pura hîc sit imaginatio nec nova in trunco causa doloris, sed relicta in nervo ab antiquo dolore dispositio, non facile delectabilis, omnes subsequas impressiones ut dolorificas pristinas exhibens, &, ut ita loquar, detorquens.

Quod primum concernit, contra id utiq; fortiter pugnant rationes Bohmianæ, prius allatæ. Sanè in genere non sufficit dicere excitari speciem, cum hoc nimis generale quid dicat, etiam imaginatio & recordatio quæcunq; non sunt sine reditu speciei; quilibet in se facile experitur, imaginatione posse reproduci speciem doloris pristini, sed tanquam pristini, & olim percepti.

non quem jam actu patiat: In specie verò, quomodo differet excitatio speciei doloris pro perceptione molestiâ ab alterâ, quæ non nisi transitoriam reminiscenciam producit, quæ duo inter magnum oportet esse discrimen, de eo altum est silentium. Porro excitari servatam speciem uti quamcunque ita & doloris, non satiat, nisi quid species sit, & quo excitetur modo, exponatur. Dolorem à solutione continui sive tremore nervorum majoris momenti, nimia fibrillarum pressione aut tensione, quâ spirituum motus placidus interturbetur, deducunt Quidam, Alii nerveis fibris & spiritibus motum imprimi volunt, à quo ad commune sensorium propagato, occasionali tanquam à Causa, quædam ex naturæ instituto in animâ sensatio excitetur. Quicquid sit de hoc (*disceptamus miseri, quid sit dolor, qui nos cruciat*) Anima certè non dolebit, species doloris actu affligentis non excitabitur, nisi id ultimum, quod dolor in corpore animato ponit, immediatum objectum animæ sentientis, præstò sit: Species in animo non excitari nisi per symbolas phantasmatum corporis, motuum & impressionum, communiter largiuntur. Rectè quidem *Laur. Bellinus*, qui omnem dolorem etiam excitari posse per imaginationem excitatâ nempe ipsius specie, exemplo incubi, somniorum & delirii docet, specialius in casibus, de quibus Ipsi sermo est, *liquidi nervini undas & nervorum tremores* citat, verùm illæ undæ & tremores vel excitantur in cerebro, vel in nervi trunco, vel in ejus extremitate? Sunt, vel à solutione continui alicubi fiente, vel sine eâ, siquidem possibilis sit causa valens ista simili modo afficere, ac soluta unitas solet; Et sic ad alteram ex posterioribus sententiis referri deberet, nisi fortè in cerebro contingere diceret, quod ipsæ in extremitate vel ramo nervi statuunt. Sed rediret prior quæstio, quomodo discerni possit excitatio speciei quæ fit à phantasmate cerebrum oberrante ab istâ quæ procedit ex impressione, quam nunc patitur organum; & num prior sufficiens sit ad proponendam molestiam doloris tantam & diurnam actu affligentem, cum forsàn ultrâ excitationem pro imaginatione simplici nihil possit: Ubi in specie resolvi optarem hoc discrimen; Sistat sibi mens in imaginatione objectum e. gr. coloratum, sentiat, item eadem colorem istum, ut nullus sit extra organum, (talem quippe impressionem ab alio

quàm

quàm objecto extus posito fieri omninò possibile est) quomodo distinguuntur binæ illæ excitationes, Imaginatio pura & Sensatio, duo satis distincta? Dolores citati quos in somniis interdum patimur, multum & ipsi differunt à simplici dolorum imaginatione, nec affligunt, nisi in ipsis partibus tali Sensationi & iudicio, detur occasio. Aristotelis sententiam de causâ & modo productionis in somniorum jam olim hoc modo exposuit B. Antecessor Lieblers in Epit. Phil. Nat. *Dormienti animali ad principium sentiendi copiosus ascendit sanguis, & cum eo quoq; motus in sensibus relictis, iig; vel actu vel potestate. Quorum semper unus post alium oboritur, principiumq; sentiendi eodem ferè modo afficit, quo species externa in vigilantibus solent.* Incubus sanè non dicit solam imaginationem s. excitationem specièi rei noxiæ, timoris, molis incumbentis, aliàs imaginari ipsum non valeremus, quin actu incubo invaderemur, sed etiam ponit illum nervorum statum, & spirituum in organa impeditum, turbatum, influxum, quo occasio datur tali errori circa Sensationem. Quod si insuper casus fortuitus uti quascunq; species, ita & doloris eo modo excitare valet, acsi actu corpus affligerent, mirum nos non ex errore in errorem ruere, perpetuò plusquam somniare, quin magis mirum doloris nos unquam expertes esse. Denique si imaginatio (quod quidem vocabulum passim resonat, res tamen, ut mihi videtur, non ita clarè est explicata) ita sumatur, ut idem sit cum perceptionibus nostris & iudiciis erroneis, falsis, in & à quibus decipimur, hoc enim discrimen, non aliud, à cognitione sunt qui afferunt, tum eam utiq; hîc non excludi posse ex dictis & dicendis fiet manifestum.

Sequitur porrò alter modus phænomenon nostrum explicandi per statum tensionis & contractionis in nervo ab undulatione retrograda ortum, qui post amputationem superstes pristinum motum dolorificum comuni sensorio communicare valeat. Hanc dum expendimus sententiam, scrupuli suboriuntur sequentes. 1. Dubium est, num satisfaciat propriæ, quam supra laudatus Author fecit, instantiæ: Vehementes à calculo, dystociâ dolores utiq; in certum quendam tensionis & conjunctionis statum cogunt nervos, nec tñ assignatur diversitas, cur ex unâ parte status iste adèd facilè pereat, deleatur, nunquam perduret aut redeat, econtrâ ex alterâ parte

in casu amputationis membrorum is difficilime & non nisi post longum tempus delebilis fit. 2. Statum illum permanere quis sustinebit? ubi perpenderit antè operationem, ligaturam summè dolorificam, in operatione amputationem, cauterisationem articularum nervis proximarum, post operationem, dolorificas deligationes, inflammationem, suppurationem, &c. 3. Vix ratio apparet, siquidem aded firmus est ille nervi status & tenax modificationis pristinae, ut omnes istas novas impressiones quasi deflectere cogat & præsentare pristinas dolorificas, cur illo tempore, quo truncus ab impositis denudatus mundatur tam facilè pereat, nec tum offerat consueto suo modo? cur absolutà deligatione iterum præstò fit, & ita alternet, non semel sed aliquoties?

Tandem explicationem à Perraulte communicatam considerantes, not. 1. Ipsam vix congruere cum sententia quam proposuerat de Animâ, percipiente impressiones objectorum non in cerebro, sed in organis affectis. Quomodo enim ex hac hypothese alium dolorem percipere, aut de alio judicare poterit, quàm illius partis, in quâ impressiones percipit? Nec ratio patet, qui stante illa, circa locum & sedem Sensationis & doloris errare possit. 2. Hic modus explicandi magis congruus videtur respectu sententiaè Aliorum, qui Sensationes seu impressiones ab organis in cerebro terminatas demum ab anima percipi afferunt; In hac enim non sine veri specie dici posse putamus, animam unam extremitatem brachii accipere pro aliâ, scilicet illam extremitatem nervi, quæ respondet digito, & fuerat ordinarius internuncius commoveri, & hanc impressionem recipi in Cerebro quasi venientem ab anti-quâ & toties percellente læsionis sede.

Antequam hanc sententiam varietatem mittamus, paucis & alium modum explicandi tangemus. Mirum videtur non accusari sympathiam, modo Digbeano. Sicut sanguis, & pus vulnerati igni admotum fervorem parti læsæ & dolorem intolerabilem induxisse dicitur, ita conformiter ad nostrum phænomenon dici deberet, dum brachium & in specie digiti suas adhuc patiuntur læsiones, passionis partis, utut rescissæ, olim tamen informatæ, terminari adhuc in animâ, & eam afficere & percellere ob sympathiam & appetitum quem servat ad pristinum à se informatum membrum

brum; Sanè qualicumque demum opinione imbuti Chirurgi, talia membra à putredine religioſè præſervant, ſuſpendunt autem in fumo & exſiccant. Verùm tranſeat hic modus, quem à nemine citatum invenimus.

CAPUT IV.

Tentatur explicatio.

UT ex iſtis difficultatibus eluamur, perpendimus 1. Non eſſe de nihilo, quod Perraultus monet de judicio confuſo, habituali, quod anima in Senſationibus ſuis ordinariè & præcipitanter ferre ſolet, adedque ut ritè judicare poſſit circa ipſas, opus eſſe judicio diſtincto, & correctione per experientiam, quæ informet mentem de veris circumſtantiis impreſſionum, quas patitur corpus, cui unita eſt. Inter eas utique & locus eſt, ſcilicet ubi Senſatio & dolor fiant, imò qua ratione rò ubi, in & ab ipſa infantia addiſcat animus, & de ipſo in ſpecie certus fiat, ut juxta iſtum quaſi habitum promptè per omnem vitam judicet, omninò peculiarem mereretur diſquiſitionem. De partibus equidem externis corporis noſtri (quæ non modò ut medium, per quod externa ſentimus, ſed & ut objectum, quod ſentitur, ſe habent) certi reddimur per ſenſus partim in nobis ipſis, partim in aliis ſenſui expoſitis hominibus: Habet item quævis pars præter varias jaſtationes ſuum pondus, habet ſuum in contra motum tonicum, ſeu influxum contipuum Spirituum, ſufficientem ad conſervandam partem in naturali ſuo vigore, tenſione, erectione contra priorem niſum, quod tamen utrumque momentum ob conſuetudinem in ſtatu ſano vix ſentimus, vix ſupra iſta reflectimus, extra curam ponimus, antiquo mori fidimus: Scilicet *Conſuetudo altera Natura*. *D. Valentini App. Ephem. German. T. ult.* Internas autem corporis partes, ſenſibus ſubtractas admiramur & ſtupemus, cum in ſectionibus cadaverum talia in homine eſſe cernimus, & in nobis quoque admittere cogimur, quæ prius omninò ignoraveramus. Dolemus internè & ſæpè & paſſim, ſed quæ pars ſit affecta vel dolens niſi *Anatomici*, non novimus. *Qui corpus ſuum nunquam vi-*

disset & contrectasset, si postea tormina vel titillationem sentiret, tunc mens quidem malè vel suaviter se affici perciperet, at nesciret, quomodo, unde & ubi? inquit inter plura paradoxa Realis de Vienna disc. in Thomas. Phil. Aulic. p. 69. cui de cætero Autori cum non omnes placeant, mirum non erit, si nec Ipse omnibus placeat.

2. Consideramus statum ægri & trunci residui. Ille diu graves ante amputationem dolores (à quâ causâ internâ, æquè ante ac post rescissionem, ignarus) varias deligationes, strictas etiam ad impediendum sanguinis fluxum, gangrænæ principium passus fuerat; brachium liberè & plenè movere ac in omnes situs circumvertere non poterat; antè rescissionem & pro obtundendo sensu & prohibenda hæmorrhagiâ ligatura instituta fuerat admodum stringens. Post amputationem æger in lecto quietè detentus, truncus deligatus, obvelatus, involutus, & variis modis firmatus atque suffultus fuerat, non movebatur, nisi tantillum tempore deligationis, postmodum more solito tumore inflammatorio in magnitudine augebatur. Quoad hunc verò statum ægri, necdum resciscere potui, (hinc pono inter desiderata) an, quibus membrum sanum, doloris prius omnis expers, quocunq̄ue dein casu aut modo ablatum fuit, etiam de vario dolore conquerantur, an verò sine ipso solâ putatitiâ membri præsentia vexentur. Circa truncum autem misero aspectu residuum, notabilis quoque Paræi observatio non prætermittenda, qui cum ferro candente amputatorum membrorum ossa inureret, ut saniei effluxum perpetuum exhauriret, mirâ ægros voluptate perfusos fuisse refert, titillante quodam pruritu per totam ossis illius longitudinem grassante, ob caloris ab adhibito caustico blandam diffusionem.

3. Notabile quoque omninò judicamus, visu, tactu, dolore intensiore, motu, &c. correctum facilè errorem, & de absentia brachii plenè informatam & persuasam fuisse animam, speciem illam, si ita placet, deletam; Idque non solum in principali illâ circumstantiâ, cum deligatio renovaretur, & veri doloris sedem dignosceret æger, miserabilemque statum integrè perspiceret, sed & post aliquot septimanas cum lecto sensim valedicens, truncum magis magisque movens, remotis fulcimentis pendulam experiretur. Sanè prout hæc citius sub felici curâ obtingunt, ita ab errore & dolore citius liberatur æger, & contra, quòd cura magis pro-

trahi-

trahitur, nec residui trunci liber usus & motus redit, eò diutius in errore detinentur, & molestiæ reliquæ hoc quoque dolore au-
gentur. Quod ad nimis diuturnum & per plures menses duran-
tem dolorem, nobis equidem nondum observatum, spectat, hunc
partim inter ea quæ perrarò contingunt, refert Hildanus, partim
illustrat Binnigerus, dum sub finem tertii demum mensis adhuc
offis particulam ex trunco pedis avulsam describit, & eum pars
carne obducta fuisset, parvulum tamen restitisse in eâ foramen re-
fert. Plures forte rationes suppeditabunt Observatores pro crasti-
natæ sanationis.

His omnibus perpensis, hunc modum explicandi phænome-
na nobis Verosimiliorem visum seligimus. Mens de absentia mem-
bri non ita informata ut consuetudinē per totam vitam radicatam
jam exuerit, juxta antiquum recipiendi & emittendi spiritus mo-
dum, seu pristinam impressionum perceptionem, & emissionum
determinationem, de brachio e. gr. suo judicat, idque eo se habe-
re modo putat, quo prius, accipiens impressiones per idem medi-
um ad eundem terminum delatas pro venientibus ex membro
adhuc præsentem, non sub omni tamen & naturali suâ dispositione,
sed tanquam stupore affecto, qui aliàs imminutionem & depra-
vationem sensûs in parte dicit, in eâ scilicet, ad quam tendit ner-
vus, in loco intermedio ligatus, compressus, &c. liberum spiriti-
bus motum denegans: Cum ergò & in hoc statu à membri faucii
extremitate spiritus retrorsum urgeantur ex duplici causa (ut re-
ctè pro statu sano notat Bohnius) tum à naturali renitentia, sive
novo obstaculo ipsis nunc posito, tum à stimulis nervearum fibril-
larum terminis, hinc perceptio adest vera in tali homine, fit pas-
sio corporis, quæ non latet animam, veri sunt dolores, quos pati-
tur, in quantum à causâ lædente, vario modo continuum solven-
te oriuntur, (quicquid scilicet sub deligatione nervum, laceras-
tremulasque fibras sive sit externum, emplastra, &c. sive internum,
puris spicula, sanguinis motus uterque, spirituum turbæ, &c. affi-
cere, variè ac diversimodè hic & ibi irritare, stimulare potest) sed
judicium sensûs communis circa ista non rectè se habet, errat mens
circa locum ex dictis causis, assignat parti, quod non in ipsa est,
sed in intimis fibris, per quas olim nuncios suos ad informandam
animam mittere fuit solita. Cessat fallacia, cessantibus causis i-

psam foventibus, & positis ex §. 3. distincto iudicio atque experientia; Redit tamen, nec enim mox unus & alter actus antiquum iudicandi modum habitumque subvertere vel eradicare valet. Quod ad motum putatitium spectat, eadem videtur ratio impressionis iudicatæ tanquam à digito provenienti, & determinationis istius circa principium & fontem spirituum ad eosdem in specie digitos. Nutus animæ Spiritus è cerebro per patulos canales determinatè mittit, non in organum quodcunque in genere, sed præcisè huc & illuc in hunc digitum & hunc digiti articulum. Per sensus autem addiscere tenetur anima, si scire velit, utrū motus illius membri nutui sui respondeat, quod cum nunquam non in statu sano fuerit factum, quapropter non erit, quod hic aliter se rem habere putet, nisi melius informetur, commotis quidem dubio procul spiritibus & ruentibus adhuc ad voluntatis imperium, sed quousque possunt; Digitos autem convulsos motu invito ab ægro referri èd minus fortè mirabimur, quò plures in trunco & varias fibrarum crispaturas, tensiones, inflationes, contractiones à Paræo benè annotatas, factas fuisse omnino probabile est.

Liceat in comparatione motus huius & sensus aliquantum nos extendere: Quemadmodum aggregatum seu fasciculus canalium v. fibrillarū non quā transiens masculum movendi potentiam confert, sed quā ramulos distribuens: Ita etiam ut sentientem faciat partem, non per eam transire, sed in ipsam abire debet. Sicut nervuli spiritus ad certas partes pro nutu animæ, non motis vicinis, determinat; Ita impressio in organon, in partem sensilem facta per sibi proprium canalem seu fibrillam, non in uno amplo tubo, sed isto fasciculo inconfusè ad fontem & principium derivari debet. Sicut mens in infantia membra movet, sed variè, indeterminatè, & sæpius fortè errat, dum discit adhuc, quoad spiritus nutui ritè corresponsdeant; Ita nec errorum multiplicium in sensu expers est, & quoad circumstantias loci & cæteras utut multoties erret, omnium tamen fallaciarum obliviscitur. Sicut Medici in pathologicis partem convulsivè moveri posse statuunt, sive causa in nervi ipsi competentis principio, sive plexu intermedio, sive extremitate hæreat; Ita quoque residua illius præcisè ramuli portio, quæ digito quondam, non alii parti propria, læsa, modo non diversò nervi principium percelleret, ac olim in anterioribus afflicta. Denique si ve-

rum est, brachium & crus sine sensu potuisse amputari, & tamen aegras aequè post ac antè amputationem de dolore fuisse conquestas, quod sane colligi debere videtur ex historia puellæ, quam Cartesius, & alterâ feminae quam Bohnius ex Bernier abregé de la phil. de Gassendi adducit, tum utique mens antè amputationem, membro adhuc præsentem, in iudicio circa locum doloris erravit: Quod si enim partes gangrænosæ abscindi sine sensu & dolore ægris totius operationis ignaris potuerunt, tum sane dolor in digitis itidem jam antè operationem emortuis sentiri non potuit, sed eum in parte adhuc vivâ sedem habuisse, & falso gangrænosæ assignatum fuisse necesse est: In nostrâ historiâ index majoris doloris sedes fuerat; at nihil ibi visum præternaturale, vulnus autem nervum prope cubitum strinxerat.

Et hic subsistimus, nec plura addimus, nisi hoc unicum maximè necessarium ex Ciceronis Quæst. Academ. Sc. Nos, quoniam contra alios, quæ videntur, dixerimus, non posse, quin alii à nobis dissentiant, recusare; Quanquam nostra quidem causa facilior est, qui verum invenire sine ullâ contentione volumus, idq; summa curâ studioq; conquirimus. Perplacet adedque & illud, dum Neq; nostra, pergit Tullius, disputationes quisquam aliud agunt, nisi ut in utramq; partem dicendo (& audiendo) eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quàm proximè accedat. Neq; inter nos & eos, qui se scire arbitrantur, quidquam interest, nisi quod illi non dubitant quàm ea vera sint, quæ defendunt; Nos probabilia multa habemus, quæ sequi facile, affirmare vix possumus. Hoc autem liberiores & solutiores sumus, quod integra nobis est iudicandi potestas, neq; ut omnia, quæ præscripta & quasi imperata sint, defendamus, necessitate ullâ cogimur.

Ad Respondentem Suum,
 Dominum Candidatum Præstantissimum,
 occasione turbarum bellicarum
 PRÆSES.

Bella gerant Alii, Vincant Victive recedant!
 Quod Verum atque Pium Tu Pari semper ama.

Miros Mira decent, quia tam Mirabile præbes
 Ingenii specimen, nomen in omen abit.

Ita præstantissimo Dn. Candidato Sympatriotæ & Cognato suo
 à reueris suavissimo applaudere voluit, debuit

M. PHILIPP JOSEPH Zenisch.
 Wia.

 Madrigal.

Ichzt wunderbarlich
 Herz Wunderlich ist das Beginnen /
 Daß Ihr durch Kunst und scharffes Sinnen
 Mit Recht begehrt des Fleißes Lohn
 Der Weißheit Pracht die Lorbeer-Kron /
 So sollt Ihr dann auff sauren Fleiß
 Empfangen nichts als Ruhm und Preisß
 Apollo wird sich reich an Euch erzeigen
 Mit Lorbeer-Zweigen.

Herrn Candid. Philos. zu Ehren gesetzt
 von

M. Johann-Jacob Schmiden.

Errores Animæ mutilataque corpora dicis,
 Integer ut Laudi stes maneatque Tuz.

Perex. Dno Resp. gratulabundus p.

Georgius David Zorer / Philosoph. Cand.

Auß Anaxarchus kont' in seinem Plasz-Balg lachen
 Der jetzt zu malmet ward / ist eine Wunder-Sach /
 Daß aber Ihr hiervon könn't solche Worte machen /
 Gibt Anaxarchens Muth / auch Eure Kunst nicht nach.
 Auß Freundes-Pflicht beygetragen

von

P. H. Weiffensee / Philos. Cand.

Impiger extremos currit Mercator ad Indos,
 Latum & mutandis mercibus æquor arat.
 Te Dotes anima quarentem sponte sequuntur,
 Te mage felicem quis neget esse Patre.

Hiscæ Amico Suo Certissimo legitimè ad honores tendenti gratulari debuit

Aug. Kestock / Philos. Stud.

Was dorten Plato auch zu wissen hat begehret /
 Den seine Griechen bald den Göttern gleich geehret /
 Das zeigt Herz Bruder jetzt mit höchst-beliebter Weiß /
 Ich nenne billich Ihn der Vierinnen Preisß !

Joh. Christoph Aulber / Philos. Stud.

לָהּ נָתַן שֵׁם יַעֲקֹב
 בִּי רָצַת נַפְשׁ תְּרוֹמָם:
 וְחִשָּׁד שָׂכַל תַּעֲקֹב
 אֵל יִשְׁבִּילָהּ וִיקוֹמָם:

Sic applaudit Candidissimo Amico Suo
EUSTACHIUS Haug / Philosoph. Cand.

Unde dolor, quo se mutilo mens nostra fatigat
 Corpore, dum monstras, præmia mira capis.

Sic accinit Suavis. Suo commilitoni

P. J. Thille, Philos. Cand.

EN! Laurus trudit gemmas & germina lata
 Explicat & frondes palma suas teneras.
 Jam video Laurum & Laudæ florescere germen,
 Tempora Mi Pylades quæ redimita Tua.

Joh. Jac. Müller / Phil. Cand.

Welch ist der Erden Pflanz / die schnell den Himmel küsst /
 Als kaum ihr harter Kern der Erden Leib begrüßet /
 Und steigt Wunder auff mit Früchten angeblüht /
 Da dann auch nur ein Kern von hundert wird gerühmt?
 Es ist der Wunder-Baum. Der recht den Musen gleichet
 Der für ein kleinen Kern / wol hundert redlich reichet /
 Hier steht ein Wunder-Mann / der sich zum Sternen se
 Zeigt Feinden seine Brust / mit Helden Muth beherzet. [bet/
 Her! Bruder Wunderlich / Raketen hoch zu steigen /
 Fahrt fort seyd wunderreich Euch muthig zu erzeigen /
 So wird schon euer Ehr / sampt Eltern einverleibt
 Den Cedern Felsen hoch. Fahrt fort ein Wunder bleibt.

Dieses sollte und musste seinem vilgeliebtesten Herrn
 Brudern und Vettern als Responsuro glück
 wünschend hinzu setzen

Joh. Jac. Mörleth / Philos. Cand.

Nimm / werther Freund / den Lohn /
 Den dir der Musen-Schaar ganz würdig zu gedencet /
 Nimm an / was Fobus dir / vor deine Mühe schencket /
 Der Künsten Ehren-Kron ;
 Der Himmel ist dir hold / der deinen Sinn so lencket /
 Und dich mit Künsten träncket.
 Ergöh' die Freunde nun : Sprich deinen Feinden Hohn /
 Vom hohen Helicon.

Dieses setze auß schuldiger Freundschafts-Pflicht
 bey sein verbundener Bruder und Bet-
 ter

Joh. Jac. Herbort / Philos. Cand. in Illustr. Stip.

Miramur meritò naturæ mira, labore
 Quæ tu *Rimari* non sine laude cupis.
 Quid mirum verò *Mirum* conamine miro
 Scrutari hæc? rebus nomina conveniunt.

Pos. Dn. Contubernali Suo Amicissimo

Joh. Magnus Ketterlinus, Philos. Studios.

Madrigal.

Dies ist die schöne Frucht /
 Die vor den Schätzen sucht /
 Ein edler Geist durch fleißiges Benuhen ;
 Das theure Pfund / das ihm Gott verlihen /
 Der Nachwelt Kund zu thun :
 Der edle Trieb laßt ihn mit nichten ruh'n.
 Dies thut zwar nicht ein all zu nidrer Geist /
 Der nur allein vom Staub des Pöbels weißt.
 Ihr aber zeigt /
 Daß Ihr Euch nicht so tieffe neigt :
 Ihr sucht Euch Wolcken an zu schwingen /
 Deswegen steth die Cron
 Bereit zu Eurem Lohn.

Dieses setzet wolmeinend hinzu

Joh. Felix Koch / Philos. Stud.